



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

[Prooemivm.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)



TRACTATUS XI.
RELIGIONIS,

QVI EST

DE REVERENTIA DEBITA LOCIS SACRIS,
ET EORVM IMMUNITATE.

Et Disputatio vnica sub eodem titulo.

PROOEMIUM.

CONSTAT esse aliqua loca specialiter Deo in eius cultum dicata, ad quae populus Christianus conuenit, tum ad Deum laudandum, tum ad beneficia ab eo postulanda, tum ad gratias agendas pro beneficiis acceptis, tum ad offerendum ei sanctissimum sacrificium. Hæc ergo loca dupliciter Deo dicari possunt. 1. autoritate Pontificis. 2. autoritate priuata. Si solum priuata autoritate dicata sint, vt sunt priuata oratoria, & capellæ, in quibus ex licentia Episcopi missa celebratur: non vocantur absolutè loca sacra. Hæc enim dedicationem publicam, & perpetuam exposulant: iuxta *tum in leg. in tantum, ff. de rerum diuis.* ibi sacra res sunt, quæ publicè consecratae sunt. Si autem autoritate Episcopi dedicantur, tametsi consecrata, neque benedicta sint, loca sacra nuncupari debent. Quando autem consecrata, aut benedicta sunt, tunc propriissimè templa, & Ecclesiæ nuncupantur. De eorum ergo reuerentia, & cultu in præsentem agendum est. Et in primis supponendum est nullum cultum positium directè locis sacris deberi: quia ex vi consecrationis, & deputationis horum locorum, solum habent illa loca esse specialiter deputata, vt in eis orationes fundantur, & sacrificium offeratur, si aliquando offerendum est; non tamen habent, vt de facto ibi offeratur. Sed poteris ab his omnibus abstinere, nisi ex aliquo speciali præcepto ratione tui muneris tenearis. Ergo nullus cultus positius his locis sacris debetur. Nam si aliquis esset, vel esset sacrificium, vel oratio. Quocirca totus cultus debitus his locis negatiuus est, non positius consistens in negatione omnis actionis iniuriolæ. At quia hæc actiones varix sunt. De illis in se sequentibus est agendum.



DISPUTATIO I.

De reuerentia debita locis sacris, & eorum
immunitate.

PUNCTVM I.

An sint contra reuerentiam debitam loco sacro
omnes actiones, quibus ipse polluitur,
& quæ hæc sint.

- 1 Enumerantur actiones, quibus Ecclesia polluitur.
- 2 Duo requiruntur ad Ecclesie pollutionem. Primò, vt supra dicta actiones in Ecclesia fiant. Secundo, vt fiant publicè, & quid nomine Ecclesie intelligatur.
- 3 Actiones quibus Ecclesia polluitur, si occultè fiant, aliquibus placet sacrilegia non esse.

- 4 Probabiliter est sacrilegia esse.
- 5 Fit satis rationi dubitandi, n. 3. adducta.
- 6 Omnes actiones, quibus locus sacer polluitur, iure ipso natura videntur sacrilegia esse posita loci sacri sanctitate.
- 7 Probabiliter est nullum peccatum in Ecclesia commissum habere speciem sacrilegij seculi iure positio, nisi illud peccatum, quo locus sacer contemnitur, & profanatur.
- 8 Satisfit, rationibus n. 6. adductis.

1. **T**RACT. de sacrificio Missæ, cap. 5. §. 1. enumerantur actiones, quibus Ecclesia polluitur. Hæc, inquam, sunt. Primò homicidium, cap. *proposuiti, de consecrat. Eccles.* Secundo iniuriolus vulneris grauis, & iniuriolus. cap. *uni. de consecrat. Eccles. in 6. & cap. si motum de consecrat. dist. 1. Sum. disp. 81. sect. 4. & lib. 3. de relig. t. 1. cap. 2. num. 3.* Aduerte iniuriam percutiōnem, vulnerationem, mutilationem, si contingant absque sanguinis effusione sacrilegia esse; quia sunt contra Ecclesie immunitatem. At Ecclesiam purificatione non indigere, nisi sanguis in magna quantitate effundatur, aut vulnus lethale sit, pluribus firmat Fagund. 2. p. de præcept. Eccles. lib. 4. cap. 4. num. 14. & 16. Secundo. Aduerte alapam, etiam si grauis sit iniuria